

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 3023

**Auteur(s) :** Renaud d'Ayswell, bailli et attourné de Othon de Granson, gardien des Îles [autre]

**Bénéficiaire(s) :** Le Mont-Saint-Michel, Le Mont Saint-Michel (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1287, 3 mars

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Renaud d'Ayswell ou d'Ashwell, Bailli et attourné de Othon de Granson, Gardien des Iles, vise, par lettre datée du 11 Mars 1286–7, un accord fait en 1283 entre les religieux du Mont St Michel et Philippe Le Breton devant Philippe L'Evesque, Chevalier, Bailli de Jersey, et Raoul Eudes, assignés par le Roi pour tenir les assises.

Ce vidimus contient :

I. La lettre du Bailli, Philippe L'Evesque, (1283) par laquelle les parties remettent leurs différends à l'arbitrage de l'abbé du Mont St Michel et de Nicolas Fanegot, Prieur de St Germain-sur-Ay.

II. La sentence arbitrale desdits abbé et prieur, rendue en 1284, publiée en pleine assemblée de paroisse, et revêtue des sceaux de l'abbé, du doyen et du bailli.

Philippe Le Breton (dont les cautions étaient Philippe de la Hougue et Philippe de la Moye) était l'homme ou tenant de l'abbé du Mont St Michel. Il habitait Noirmont en St Brelade, Jersey, et procédait au sujet de la prévôté de Noirmont, qui avait été fieffée à lui et à ses ancêtres par l'abbé du Mont St Michel.

La sentence prononce que la prévôté de Noirmont appartiendra à l'abbé et au Prieur de St Clément ; que Philippe Le Breton tiendra de l'abbé son franc fief par hommage, relief et aides coutumiers ; qu'il acquittera le relief dû depuis la mort de son père pour ce franc fief ; qu'il en sera de même pour ses autres fiefs ; qu'il tiendra de même son fief vilain en payant campart, et autres redevances ; qu'il paiera également des redevances pour le fief ès Garans, pour le fief Estable et pour le fief Burnouf. Si ledit Philippe et ses ancêtres ont acquis quelque chose des autres fiefs, il en paiera à proportion de l'importance comme les autres hommes de Noirmont pour les fiefs vilains. Ledit Philippe fera les services du moulin comme les autres hommes de Noirmont. Le Prieur de St Clément rabattra audit Philippe ou à ses héritiers pour le fief ès Gales (ou Galois) trois cabots de froment, un pain, une geline et sept tournois.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Société jersiaise, *Cartulaire de Jersey*, recueil de documents concernant l'histoire de l'île conservés aux archives du département de la Manche. 1er fasc., Jersey, Beresford, 1918, n° 76, p. 135-141.

Texte établi d'après a

Universis hec visuris et auditoris Raginaldus de Suelle ballivus et atornatus nobilis militis Otonis de Grandisono in insulis Gersoi et Guernerioi salutem in Domino. Noveritis quod cum contencio seu causa multipliciter verteretur inter viros religiosos et honestos abbatem et conventum Monasterii Montis Sancti Michaelis de periculo maris et mauxime priorem prioratus Sancti Clementis dicti insule Gersoi ratione reddituum et libertatum dicto prioratui pertinencium ex una parte et Philippum dictum Le Breton de parrochia Sancti Broelardi de dicta insula ex altera in curia illustrissimi Regis nostri Anglie in dicta insula videlicet super libertatibus, redditibus et serviciis quas predictus abbas et conventus et mauxime dictus prior exigebant et petebant a dicto Philippo,

tandem dictus Philippus spontanea voluntate nec vi nec metu ad hoc coactus super premissis se supposuit dicto, arbitrio, ordinationi et voluntati virorum religiosorum Johannis Dei gracia abbatis dicti loci et fratris Nicholai Fanegot prioris Sancti Germani super E. et promisit dictus Philipus se et heredes suos ratum et gratum habituros et inviolabiliter observaturos quicquid dicti religiosi super dictis contencionibus, pace, judicio seu amicabile compositione alte et basse duxerint statuendum, ordinandum seu etiam injungendum sub pena centum marcarum argenti ab eodem Philippo apposita et ab ipso solvenda parti adverse si contingeret ipsum Philippum a dicto, ordinatione, statuto seu amicabile compositione dictorum abbatis et prioris resilire prout in compromisso super hiis inter partes predictas confecto sigillato sigillo nobilis militis Philippi dicti Levesque ballivi dicte insule et sigillo venerabilis viri decani dicte insule et dicti Philippi Le Bretun cujus compromissi tenor inferius continetur. Qui quidem abbas et prior Sancti Germani super E. in se honus dicti compromissi susceperunt et assignaverunt dictis partibus videlicet dicto priori Sancti Clementis et dicto Philippo Le Bretun diem seu dies coram eisdem arbitris processurum super premissis ut jus esset et a predictis arbitris diligenter inquisito veritate cognita et percepta in presencia dictarum parcium et de consensu earundem fuit arbitratum et pronunciatum et etiam sentenciatum coram me ipso qui loquor, dicto Philippo Levesque milite, Radulpho dicto Eudes destinatis a dicto domino Rege ad tenendas assisias in dicta insula et coram juratis insule memorate, quorum enim arbitratorum sententia sigillata sigillis eorumdem inferius annotatur. Hic est tenor compromissi :

1283.

I. Universis presentes litteras inspecturis Philippus dictus Episcopus ballivus insule de Gersoy salutem in Domino. Noverint universi quod cum contencio moveretur seu moveri speraretur inter viros religiosos abbatem et conventum Montis Sancti Michaelis de periculo maris et priorem eorum de Sancto Clemente in dicta insula ex una parte et Philippum dictum Le Bretun ex altera, tandem de consilio bonorum virorum dictus Philippus Le Bretun presens in jure coram nobis spontaneus non coactus super dicta contencione et super omnibus contencionibus motis et movendis inter ipsas partes hinc et inde pro omni tempore retroacto pro se et heredibus suis supposuit se dicto, ordinationi, statuto seu amicabile compositioni virorum religiosorum Johannis Dei gracia abbatis dicti loci et fratris Nicholai Fanegot prioris Sancti Germani super E. et promisit dictus Philippus Le Bretun se et heredes suos ratum et gratum habituros et inviolabiliter observaturos quicquid dicti religiosi super dictis contencionibus, pace, judicio seu amicabile compositione alte et basse duxerint ordinandum, statuendum seu etiam injungendum sub pena centum marcarum argenti ab eodem Philippo apposita ab ipso et ejus heredibus parti adverse persolvendarum si contingeret ipsum Philippum vel ejus heredes a dicto, ordinatione, statuto seu amicabile compositione dictorum abbatis et prioris resilire vel eis contradicere seu per ipsum stare quominus procederetur in premissis, ratis nichilominus manentibus dicto, ordinatione, statuto seu amicabile compositione dictorum abbatis et prioris, juramento ab eodem Philippo Britone de predictis tenendis et adimplendis et de non veniendo contra quoquo modo prestito corporali ; voluit etiam et concessit idem Philippus quod si contra premissa vel aliquid premissorum ipsum contigerit devenire tanquam reus perjurii puniatur tam per brachium ecclesiasticum quam etiam seculare quousque ad observacionem prestiti redierit sacramenti, et debent dicti religiosi dicto Philippo super dicto, ordinatione, statuto seu amicabile compositione dictorum abbatis et prioris dare patentes litteras sigillo eorum conventuali sigillatas et dictus Philippus eisdem religiosis sigillo nostro, decani dicte insule et suo proprio sigillatas quarum fiet audiencia in plena parrochia de Sancto Broelardo ne inter ipsas partes vel eorum successores de cetero contencio oriatur et super predictis tenendis et adimplendis ab eodem Philippo et ejus heredibus dictis religiosis pro dicto Philippo in eadem juris instancia presentes Philippus de Hoga et Philippus de Moya et super dicta pena solvenda, si committeretur erga dictos religiosos, fidejusserunt coram nobis et nos ipsos presentes et ad hec consencientes sentencialiter condempnamus et poterunt dicti abbas et prior dictum, statutum, ordinationem seu amicabilem compositionem proferre in scriptis et sine scriptis stando, sedendo diebus feriatis et non feriatis et alio modo secundum quod viderint expedire coram omnibus quorum interest significamus per presentes litteras sigillis nostris sigillatas. Datum anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo tercio die Sabbati in festo Beati Dyonisii martiris.

Hic est tenor sentencie dictorum arbitratorum :

1284.

II. Universis hec visuris Johannes divina permissione humilis abbas monasterii Montis Sancti Michaelis de periculo maris et frater Nicholaus Fanegot prior Sancti Germani super E. salutem in Domino. Noveritis quod cum inter nos abbatem predictum et conventum nostrum et predecessores nostros ac priorem nostrum Sancti Clementis in insula Gersoy ex una parte et Philippum dictum Le Bretun hominem nostrum de Nigro Monte de parrochia Sancti Broelardi dicte insule ex altera super prepositura de Nigro Monte et feodacione ejusdem eidem Philippo et ejus antecessoribus a predecessoribus nostris facta, ut dicebat, super redditibus, serviciis ab eodem Philippo nobis et

priori nostro predicto debitis et rebus aliis contencio mota fuisset ac idem Philippus super dicta contencione et super omnibus aliis contencionibus motis et movendis inter partes hinc et inde pro tempore retroacto pro se et heredibus suis supposuisset se dicto, ordinacioni, statuto seu amicabili composicioni nostrum sub certa pena prout in litteris super hoc confectis sigillis virorum venerabilium et discretorum decani, Philippi dicti Episcopi, ballivi dicte insule, et dicti Philippi Britonis sigillatis plenius continetur, nos cognito de premissis et auditis hiis que partes hinc inde proponere voluerunt, dictum nostrum, ordinacionem, statutum seu amicabilem composicionem super hec protulimus in hunc modum videlicet quod prepositura predicta nobis et successoribus nostris perpetuo remanebit quam cum suis pertinenciis idem Philippus nobis propria voluntate dimisit, nec aliquid poterit idem Philippus nec ejus heredes in dicta prepositura seu ratione ejusdem de cetero reclamare. Item idem Philippus et heredes sui feodum suum francum per homagium, releveium et alia consueta auxilia tenebit ab abbate Montis et releveium de dicto feodo et aliis feodis suis secundum usum patrie solvet ex morte patris sui et ejus heredes post ipsum et sic deinceps relevabunt. Item feodum vilanum tenebit ab abbate et solvet exinde campartum et ejus heredes et octo cabbotellos frumenti septem cabbotellos avene ad festum Sancti Michaelis singulis annis ad mensuram dicti loci et quatuor panes et quatuor gaullinas ad Natale. Item dimidium cabbotellum frumenti reddet singulis annis pro feodo as Garanz et unum cabbotellum pro feodo Estable ad dictum festum Sancti Michaelis, item unum cabbotellum pro feodo Burnouf ad dictum festum Sancti Michaelis et duos panes et duos capones ad Natale. Et si idem Philippus vel ejus antecessores aliquid emerint seu adquisierint de aliis feodis pro porcione et quantitate reddet redditus et faciet servicia et fesancias quibus dicta feoda acquisita possidebit et alios reddet et ejus heredes redditus et faciet fesancias et servicia pro quantitate feodi quod tenet sicut et alii homines de Nigro Monte feodum villanum tenentes reddunt et faciunt pro suis villanis feodis et tenentur reddere et facere et actenus reddiderunt prout in quadam littera sigillis ballivi et juratorum ejusdem insule sigillata plenius continetur et priori Sancti Clementis qui pro tempore fuerit ut domino de omni suo feodo tam franco quam villano obediet et ejus curie sicut alii sui homines respondebit et ejus heredes post ipsum. Item idem Philippus et ejus heredes debent sectam molendini dicti prioris, servicia et fesancias sicut et alii homines de Nigro Monte facere consueverunt dicto molendino ab antiquo ; de predictis autem redditibus prior Sancti Clementis quolibet anno deducet seu discomputabit dicto Philippo et ejus heredibus pro feodo au Gales tres cabbotellos frumenti, unum panem et unam gallinam et septem Turonenses nec aliud pro dicto feodo poterit exigere ab eodem priore. Dicimus autem et ordinamus quod ad perpetuam rei memoriam super premissis littera sigillo conventuali monasterii Montis sigillata dicto Philippo ab abbate et conventu Montis concedatur et a dicto Philippo dictis abbati et conventui alia littera sigillata sigillis virorum venerabilium et discretorum decani et Philippi dicti Episcopi ballivi dicte insule dictique Philippi dicti Britonis cujus fiet audientia in plena parrochia Sancti Broelardi ne de cetero inter partes ipsas seu eorum successores vel heredes super hoc contencio oriatur. Pro redencione autem laboris nostri abbatis et conventus et expensarum quas in contencione hujusmodi expendissemus eidem Philippo dedimus decem libras turonensium in pecunia numerata. Que omnibus quorum interest significamus per presentes litteras sigillis nostris sigillatas de consensu dicti Philippi Britonis presentis coram nobis. Actum et datum anno Domini millesimo cc. octogesimo quarto, die Sabbati ante festum Sancti Dyonisii apud Montem Sancti Michaelis.

Quod vobis et omnibus quorum interest significamus per presentes patentes litteras sigillo nostro sigillatas ad petitionem dictorum religiosorum quod presentibus hiis apposuimus ad majorem hujus rei noticiam ac etiam firmitatem. Quod sigillum est domini nostri Regis Anglie de ballivia dictarum insularum. Valete. Datum anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo sexto, die lune post Dominicam qua cantatur Reminiscere.